TRACTATUS
DE ANIMA BESTIARUM
CUJUS THESES

Sub Auspiciis

ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI D. D.

MARCI ZAGURI

EPISCOPI VICENTINI

DUCIS, MARCHIONIS, ET COMITIS &c. &c.

Publico certamini exponit

MARCUS PERUZZI

SEMINARII VICENTINI ALUMNUS

PRÆCETORE & ADJUTORE

PETRO MARTINATO

IN EODEM SEMINARIO METAPHYSICÆ

L E C T O R E.

Data unicuique poſt tertium
arguendi facultate

VICETIÆ MDCCXCVII

EX TYPOGRAPHIA CAROLI BRIXIANI

——— *Mens extensa per omnia ubique*
Omnia conservat, minimis & maxima nectit,
Bruta jubetque homini, atque hominem succurrere brutis.

Pop. Lib. 3. de hom.

CUM post Dei & hominis scientiam nihil in metaphysicis disciplinis sit, quod & rerum varietate, & operum magnitudine, industria, atque elegantia, majori possit voluptate perfundere, atque admiratione percellere, quam belluarum observatio; cumque praeterea nulla sit praeter belluas in hoc universo Orbe aut creata res, aut arte elaborata, quae (excepta humana specie) miserationem nostram, ipsumque etiam amorem concitare queat: ita nobis indulgendum fore confidimus, si in belluarum animam inquirere, naturamque ipsius determinare statuimus. Ac quamvis jam *in tenui etiam & labor sit, & non tenuis gloria*, parvi tamen momenti quaestionem hanc non esse censendam intelligimus: super qua scilicet tanta est Philosophorum discordia & Theologorum timor. Attamen monemus, hanc veluti spartam nobis relictam fuisse, cum paucis abhinc annis quae ad humanam animam & ad Deum pertinent, optime jam omnia pertractata & propugnata fuerint, vobis fortasse omnibus, quorum nunc favorem obtestamur, audientibus & plaudentibus.

I.

I.

Itaque hunc ipſum amorem, hanc ipſam miſerationem qua homines proſequntur ſepæ beſtias vim ſolidæ argumentationis habere contendit erudit Co. Laurentius Magalotus Ep. de an. brut. adverſus Carteſianorum ſententiam, qui primi poſt orbem conditum propugnare non ſunt veriti, beſtias *automata* eſſe. *Quomodo enim*, ait, *nulla commiſeratione commoveor, ſi horologium aliquod confringatur: ferre autem nequeo, ut canis (ſed quid canem dico?) ut mus, licet moleſtus & inviſus,* *me præſente torqueatur?* Quæ Magalotti argumentatio, etſi parum roboris habeat ad evertendam Carteſianorum ſententiam; illud tamen clare probat: *fieri* non *poſſe ſcilicet, ut Carteſiani poſſint cuilibet, vel etiam fortaſſe ſibi perſuadere, ſententiam adeo intimo ſenſui contrariam ex animo excogitatam fuiſſe, atque ex animo defendi*. Etnim cum hanc ipſam ſententiam propugnaverint, beſtias tamen diligebant, & earum fortunas miſerebantur, *Idealiſtis* ſimiles, qui ſemper corporibus indigere ſentiunt, & eſſe corpora negant.

II.

At, inquiunt Carteſiani, cur Deus ita nequit omnipotentia ſapientiaque ſua conſtruere machinas quaſdam;

quæ

quæ æque agant ac si anima donatæ essent? Nonne ipse Vaucansonius avem tanta arte atque industria finxit, ut alas ad volandum concuteret, rostrumque ad cibum veluti admoveret? Verum reponit doctiss. Duhamelius: *Non ad id, quod Deus potest efficere spectandum est; sed ad id, quod revera fecit; agitur enim de re jam facta & præsenti*. Experientia igitur dirimenda est lis, aut (si ipsa desit) *analogiæ* momentis cedendum erit.

III.

Interim *analogia, si illam ex finibus rerum desumas, belluas esse animo præditas ea ipsa ferme dixerim evidentia demonstrat, qua esse in hominibus ipsis a nobis diversis animam docet*. Neque enim sentimus nos, nisi animam nostram. Quia vero ex sensibus quidquid sentimus accepisse experimur; hinc, quia cæteros quoque homines similibus sensibus instructos vidimus, anima quoque donatos esse ex finibus rerum inferimus. Verum quot bestiæ similibus sensibus exornatæ sunt! Quod si tanta similitudo non deprehenditur in bestiis illis, quæ *imperfectæ* solent appellari, id non multo magis probat, eas esse anima destitutas, quam natura cæcos aut surdos anima destitui.

IV.

I V.

Sed vis analogiæ augetur deducta argumentatione ex effectibus ad caussas. *Feræ enim habent impetus, rabiem, feritatem, incursum*, dicebat Sen. de ira, *& in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt*. Sui præterea conservationem, felicitatemque perquirunt, suavia amplectuntur ultro, ab alienis sibi declinant, plura discunt tum natura, tum arte, atque etiam sæpe cultura mitescunt. *Nonnulla in quodam volucrum genere videmus indicia pietatis*, ait Cic. de fin. 2., *cogitationem, memoriam; in multis etiam disciplinam, & secreta a voluptate humanarum quædam simulacra virtutum*. Ipse D. Aug. l. de quant. an., *sensu nos bestias multas superare* docet. *Bestiæ ergo præbent certa indicia sentiendi, plurimæque etiam reminiscendi. Quæ cum animi ope in nobis tantummodo fiant; in bestiis ipsis inesse animum dubitare, ridiculum* est.

V.

Illud vero in his præcipue oportet considerare, fieri non posse, ut bestiæ reminiscantur alicujus rei, quam modo ob oculos habent, nisi simul ideam habeant rei illius tamquam præsentis, & tamquam præteritæ: quod idem est ac si dicas, nisi habeant simul duas ideas præsentes. Canis ex gr, qui hostem intuens latrat, fremit,

ac..it-

acuitque attritu dentes, necesse est, ut simul percipiat præsentis hominis ideam, atque ideam injuriarum olim ab eodem ipso allatarum. Verum perceptio duarum idearum simul idem sonat, atque unio earumdem in una eademque re. *Ergo anima belluarum, quæ eas eodem tempore percipit, simplex est.*

V I.

Hæc autem simplex substantia pessime crederetur esse atomus aliqua corporea. Experientia enim, qua inertiam corporibus omnibus comunem esse compertum est, in belluis aliquid esse non iners, cujus auxilio repente v. g. e somno surgunt; aut a veloci cursu sistunt se, luculenter testatur. Præterea ubique materiam non sentire eadem experientia clamat: & organizatione aquirere posse quod ex natura non habet, æque absurdum est ac rem sine re nasci. Quare simplex *anima belluarum incorporea substantia est.*

V I I.

Cæterum præterquamquod analogia esse animam in belluis ostendat; *experientia ipsa Cartesianorum excogitationes tamquam a legibus Naturæ alienis ad fabulas amandat.* Lex enim naturæ est, ut ex. gr. parallelogrammi diagonalem describit corpus a duabus viribus contrariis actum. Verum qua de causa ab avium corpu-

sculis ex opposita fluminis ripa attractus canis, & a corpusculis fluminis ejusdem iter intercludentis repulsus propter fluminis ipsius rivum viam sequitur, aut recta ad aves pergit; cum a duabus actus contrariis viribus per diagonalem parallellogrammi pergere debuisset? Altera pariter naturæ lex est, ut eadem corporea causa eosdem semper effectus in eodem corporeo subjecto in iisdem circumstantiis posito producat. Verum qua de causa deceptus canis ad falsam panis imaginem primo accurrit; postea vero in eadem distantia collocatus ab eadem imagine oculos tamquam indignatus avertit. Ommitto cætera. Adeo enim absurda hæc sunt, intimoque sensui contraria, ut merito cl. Fontanellius irridenda potius, quam refutanda esse censuerit: a Cartesianis petens, num unquam viderint duo horologia, quæ prope posita in amore hæsissent, filiumque procreassent?

VIII.

Senserant Cartesiani ipsi argumentationis vim, acutusque ex eadem Schola philosophus Co. Ludovicus Barbieri Vicetinus, novum systema excogitandum esse oportere intellexit, ut gloriæ Cartesianorum consuleretur. Itaque nullam quidem esse in belluis animam docuit; sed Deum esse, qui, capta a sensibus hoc aut alio modo affectis occasione, omnia, quæ belluæ agunt, agit:

git: ea prorſus ratione, qua ageret anima aliqua (ſi qua in iis eſſet), cujus eſſentiam, & operationes inter ea, quæ fieri poſſunt, ipſe dignoſcit. Verum oportebat prorſus hac ſuper re a Carteſio deficere, ne quæ ſecum pugnantia ſunt traderet. Si enim Carteſius, dum actionem quamcumque juxta *occaſionales cauſas* a Deo fieri docet, ac deinde, ut actionum belluarum cauſam explicet, ad hunc *mechaniſmum* confugit; ſententiæ ſuæ non cohærere Vicetino philoſopho viſus eſt: ipſi *ſatis fuit occaſionalium cauſarum ſyſtema retinuiſſe, ut pugnantia pro veris haberet.*

I X.

Scilicet ſyſtema cauſarum occaſionalium eo Malebranchium adduxit, ut nullas eſſe creatas ſubſtantias activas per ſe & natura ſua propugnaverit. Interim *hæc Malebranchii opinio abſurda eſt.*

X.

Nec minus refutanda eſt ſententia Encyclopediſtarum, Paræ, aliorumque ex recentioribus Carteſianis, qui ſyſtemate cauſarum occaſionalium ad ſola corporis phænomena, commerciumque animæ cum corpore explicandum uſi ſunt, animis cæteroquin per ſe ac natura ſua intra ſe agentibus poſitis. *Cum enim activam eſſe*

na-

natura sua animam concessissent, nulla ratio esse potest, cur etiam in corpus agere *non posse defendant.*

X I.

Sane intimus sensus, quo nos in corpus nostrum pro nostro lubitu agere sentimus, dummodo nullum ex hac immediata actione animæ in corpus consequatur absurdum, vim invicti argumenti habere debet ad statuendum ac firmandum physici influxus in commercio animæ cum corpore systema. *Nos vero ex hac immediata actione sive animæ in corpus, sive corporis in animam nullum consequi absurdum fidenti animo asserimus.*

X I I.

Sed ut in viam redeamus; nova illa inventa, quibus historia naturalis modo exornata est, vermesque, polyposque instar Hydræ Herculeæ ex damno crescentes exhibet, limacesque caput abscissum reproducentes, ac rotiferos in pulverem redactos post biennium etiam aqua perfusos reviviscentes, Mechanismi sententiæ favere visa sunt iis ipsis, qui revera nunquam in Cartesii verba jurarunt, inter quos præsertim fulget cl. Spallanzanius. *Ridiculum enim esset, inquit ille, tum in rotifero in pulverem redacto animam supponere sopore gravatam;*

tum

tum etiam pro lubitu illius, qui rotiferi cineres aquâ perfundit, ad pristinam sedem redeuntem. Qua de re fortasse factum fuit, ut illustris Bonnetius istarum imperfectarum bestiarum operationes omnes per solam irritabilitatem summa ingenii laude explicaret. Cæterum sive anima *zoophyta* ista prædita sint, sive ab arboribus animo carentibus revera non differant, sive denique nonnulla ipsorum cellulæ sint, ut Reaumourio placuit, longo ordine dispositæ ac mira arte favorum instar a tenuissimis vermibus elaboratæ, in quibus ipsi vitam degunt; nullo pacto infirmari hinc potest nostra propositio: *quidquid enim in phænomenis his mirandum apparet, corporis structuram respicit, non animi statum.*

XIII.

Non negamus tamen, operationes quasdam a bestiis quibuscumque fieri, quæ ex sola irritabilitate, & corporum mechanismo, quemadmodum etiam in ipsis hominibus, repetendæ sunt. Distinguere oportet igitur voluntarias a necessariis actionibus ipsarum. Necessario movetur ipsarum cor, saliunt præcordia, pervolvitur sanguis, viscera contrahuntur & distenduntur, transpiratio, & digestio fit. Quæ observatio, quamvis primo intuitu nullius ponderis videri possit, magni tamen facienda est. Ex ea enim patet facilis explicatio operatio-

tionum aliquarum, ob quas plurimi persuaserunt sibi, *bestiis esse partem divinæ Mentis & haustus ætherios*, ut Virg. canebat. Scilicet ex hoc mechanismo fieri v. g. contendimus, ut de ventre remittat stamen exerceatque aranea telas: atque hinc, ne omnia persequamur, bruchi nent, apesque purissima mella.

Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.

XIV.

Quod si th. IV. sentientem animam habitare bestiarum corporibus jam evicimus, clare nunc ex iis, quæ attulimus th. sup. colligimus, ex *ipso eodem corporis mechanismo illam esse varias, easque vividiores, languidioresve sensationes percepturam, varia egestatis genera perpessuram, varia opera patraturam pro diversa sensuum ac totius corporis habitudine*. Quod jam ipse Lucr. animadverterat; qui lib. 4. inquirens qua de causa bestiis *aliis alius nidor detur*; id fieri docuit, quia, licet *fluens vulgo spargatur fluctus odorum*,

Verum aliis alius magis est animantibus aptus
Dissimiles propter formas.

Et

Et certe exemplo murium maculatorum hinc probare possumus esse, ut aliquæ bestiæ quibusdam tantum anni temporibus amore incendantur. Ita vaticinia corvorum, atq., ut Pl. ait, *inauspicata garrulitas* ex aeris immutatione, qua homines ipsi quandoque opprimuntur, repetenda sunt. Ita hirundinum, aliarumque bestiarum peregrinationes, *venturaque hyemis memoria* nihil aliud ostendunt, quam ciborum defectum, frigorisve augmentum in regionibus septem trionibus subjectis. Ita ova fovent gallinæ, cæteræque aves, quarum primæ saxis quoque incubare videntur, tamquam furore percitæ, quia coguntur tentigine exagitati pectoris. Atque hæc ipsa organorum dispositio est, qua (ut cætera ommittamus) canes aliæque bestiæ mira præditæ olfaciendi facultate herbarum virtutem norunt: non secus ac nos, qui si aliquando animo deficiamus (etsi hebetior sit in nobis hic sensus), aceti, spirituumque aliquorum præsentia adeo recreari sentimus, ut ad resumendas vires auxiliaturos nobis esse liquores eosdem ex ipsa sensatione intelligamus. Cæterum quod primum ex sola mechanismi vi percepta bestiæ fecerunt, dein experientia edoctæ ex rei quoque reminiscentia facere possunt.

XV.

X V.

Quemadmodum vero habitudo corporum efficit, ut ad suas tantum particulares operationes patrandas unaquæque belluarum species naturaliter apta sit: ita *efficit etiam, ut tantummodo ad particulares quosdam possit educari.*

X V I.

Quia vero quidquid bestiæ agunt, relationem quamdam necessario habere debet cum *organis* illis, quorum ope talis actio fit; patet etiam, ipsa bestiarum opera per mechanismum corporis determinari debere ad hanc potius quam ad illam formam, figuram, dispositionem, ordinem, quantitatem, indolem, & naturam. Quare quis non videat, *pulcherrimam illam operum varietatem, ob quam bestiarum historia adeo delectamur, æternumque tamen illud & constans veluti exemplum, a quo species omnes numquam recedere videntur, sive nidum struant, sive aggeres faciant, sive locum degendi vitam eligant, &c. non aliunde derivare oportere, quam ex ista relatione, quæ effectus inter & causas intercedere debet?* Hoc certe pacto explicatum fuit cur araneæ, quas Moivrio Popius anteferebat, parallella fila ducant, valenteſque bru-

bruchi bombycinos folliculos elyptico orbe conficiant; atque ita cel. Mayranus explicaverat etiam, cur hexagonas cellas apes fingant; quamvis jam Bonnetius in vitreo alveare cellas conspexisset alias elypticas, alias triangulares, sphæricas alias, ita ut eo adhuc potiori jure irrideat philosophos illos, qui, Ruischio rem demonstrante, apes geometras esse Archimede sapientiores prædicaverunt.

XVII.

Sed fuerunt etiam qui bestiis non modo Geometrarum sapientiam tribuerint, sed etiam qui eas tamquam humani generis magistras celebrarint: adeo ut, mirum fere amplius non sit, si Ægyptiorum superstitio iisdem templa dicaverit. Ab Apibus enim (si illos audis) homines didicerunt quomodo imperium administrari debeat, a Nautilio quomodo naves construendæ sint, ab Araneis quomodo sit tela texenda, &c. Ridiculum sane! Oportet enim prius novisse quid imperium sit, ut aliqua imago ipsius in Apibus deprehendatur: & Nautilii forma, aut Aranearum opera, ne ipsas quidem res detegunt, quæ ad texendas telas, aut ad construendas naves necessariæ sunt, &c. Quare *ea tantum concedimus, ope be-*

stia-

ſtiarum fortaſſe homines detexiſſe, quæ vividior earum ſenſus facilius reperire poteſt: atque ea tantum fortaſſe didiciſſe, quæ ipſi ſimili prorſus operatione poſſunt agere. Quamvis philoſophia dignius ſit, poſtremas operationes iſtas cum Lucr., aliiſque, potiusquam ab exemplo beſtiarum, a ſui utilitate, aut repentina neceſſitate aliqua repetere.

X V I I I.

Interim illud Bonnetii inventum, quod rettulimus tb. XVI., aliaque plurima, quæ referre longum nimis eſſet, cautos nos facere debent, ne illico tamquam vera habeamus portenta beſtiarum illa, quæ ad philoſophiæ trutinam revocata non fuerunt, & vulgi credulitate, aut peregrinantium audacia feruntur.

X I X.

Quod ſi beſtiæ otio tabeſcere non debebant in hoc terrarum orbe, ſed plura ac diverſa agere, ut ex jam recenſitis earum operibus patet; quis negaverit, fuiſſe aliquid neceſſarium, quod eas ſomno excuteret atque ad agendum impelleret? Quod ſi talis ſit earum natura, quæ inquietudine aliqua, ſeu dolore tantum poſſit agi; *nemo certe notam injuſtitiæ inurere Deo audebit, quod beſtias nullius criminis reas dolo-*

doloribus subjectas creaverit. Inquietudo enim hæc totius *animalis regni* anima est, ut cum Lokio loquar, atque hæc una esse potest, quæ easdem sollicitas faciat de sui etiam conservatione & existentia. Verbis igitur Augustini: *sub Deo justo nemo sine culpa miser*, pessime abuteretur, qui illa locum hic habere putaret: quamvis jam miser ille dicendus non sit, qui doloribus & inquietudinibus ad voluptatem ducitur, ut optime in hanc rem Leibtn. animadvertit. Quid? quod iste dolor non modo docet bestias, quæ naturæ necessitate peragere debent, verum etiam perfectiori illi educationi causam præbet, qua maxima ex parte cum hominibus conjunguntur, eorumque inserviunt voluptati atque utilitati?

XX.

Cum igitur, illis exceptis operationibus, quæ ex uno fieri corporis mechanismo th. XIII. exposuimus, omnia, quæ agunt bestiæ, ideo agant, quia hujus inquietudinis causa vel a natura vel ab hominibus educantur, *falsam esse patet illorum philosophorum opinionem, qui bestias inditum habere a Deo quemdam sensum autumant, quo in omnibus moveantur ac regantur. Instinctum* id vocant. Popium audire præstat;

qui

qui adeo auget Inſtinctus vim, ut homines brutis miſeriores appellare non vereretur. Ait enim lib. 3. de hom.

—— Magnis cum viribus alget,
Nec juſſus curat Ratio, nec ſponte capeſſit,
Accitum manet, & raro favet illa vocanti;
Inſtinctus contra ſeſe fert obvius ultro,
Certus non ultra poſitum tranſcurrere finem,
Dum Ratio inferius vadit vel longius æquo,
Certus Natura felicem tangere metam,
Quam celſa incaſſum Vis mentis adire laborat ....
Menſque ſupra Inſtinctum quantumvis alta feratur,
Munia Mentis homo, Inſtinctus regit omnia Numen.

At qua fronte innatas ideas (nam refutato th. IX. ſyſtem. cauſ. occaſional., nihil aliud hoc inditum a Deo lumen ſignificare poteſt), quas nullas eſſe in hominibus jam unicuique philoſophorum perſuaſum modo eſt, beſtiis tribuemus? Præcipue cum experientia duce ſciamus, naſci bruta omni prorſus idea carentia, ſenſibuſque omnia doceri, ut ex iis, quæ attulimus th. VIII. de eorum erroribus & correctione manifeſtum eſt. Præterea nonne obſervavit Franciſcus Suavius, catellos aliquos, *quibus jam oculi aperti*

erant,

erant, tactusque aliquis usus; tantum abesse, ut tali instinctu regerentur; quinimo ex mensa non parvæ altitudinis, supra quam eosdem collocaverat, præcipites sæpius decidisse, usque dum scilicet dolore edocti periculum vitare didicerint? Imo etiam cum eosdem catellos, juvenemque leporem prope ignem posuisset, omnes non modo a flammis deflexisse, sed (ut puerorum mos est, quorum nulla est idea innata) ultro sese in eas misisse, expertus est. Qua de re lepide interrogabat contrariæ sententiæ patronos, num ad sui ruinam tali instinctu bestiæ præditæ fuerint?

XXI.

Statuerat ideo acutissimus Condilliacus, educationem esse belluarum instinctum. Quam tamen definitionem falso Helvetii systemati de educationis vi convenientem, emendandam esse experientia docet; qua (vel ex iis etiam tantummodo, quæ videmus, judicantes) statuimus jam th. XIII. & seqq., nonnullas tantum species bestiarum pro tali corporis structura posse ad hæc vel ad illa educari, nonnullasque etiam ex solo mechanismo corporis externas aliquas, easque admirabiles operationes facere. *In-*

stin-

ſtinctus beſtiarum itaque, ſive principium illud, quo omnia ipſarum opera poſſunt explicari, eſt corporis habitudo atque educatio.

XXII.

Patet hinc inter ipſas ſylveſtres beſtias eas eſſe debere cultiores, quæ in ſua ſpeciei ſocietate vivunt, quales ſunt Elephanti, Simii, Filtri Pontici, ec.; habent enim, ut optime Buffonius de Sim. nomencl. diſtinxit, præter educationem *individui*, *ſpeciei* etiam educationem.

XXIII.

Merito tamen monueramus th. XXI., nos *vel ex iis tantum, quæ videmus, judicantes*, ſtatuere poſſe, ſatis non eſſe educationem ſolam ad omnia explicanda brutorum opera. Si enim ex iis etiam, quæ non videmus, aliquid metaphyſicis ratiociniis inferre velimus, *fortaſſe non eadem omnino opera facere poſſe dignoſceremus beſtias illas easdem, quarum tamen una eademque eſſet corporis habitudo atque educatio*. Et re quidem vera certiſſimum eſt, animam quoque actione ac vi ſua conſpirare ſive ad ſenſationes percipiendas, ſive ad attentionem præbendam, ſive

ad

ad quodcumque aliud mixtum & comune opus peragendum. Nonne igitur, si diversæ naturæ anima esset, diversoque virium gradu polleret, diversas quoque operationes perageret in uno etiam eodemque corpore posita? Quæ si Baylius serio perpendisset, fidenter adeo fortasse non asseruisset, animam canis in Ciceronis cerebro receptam Ciceronem esse futuram. Certe tanti fecit Bonnetius argumentationem hanc, ut cum in lib. de anal. an. statuisset, animam stolidi Huronis in Montesquiu cerebro collocatam egregium illius philosophi ingenium consecuturam fuisse, retractandam sibi esse sententiam senserit, quamvis analogia ipsa suadeat, ejusdem esse debere naturæ animas hominum omnium.

XXIV.

Quæ autem analogia nulla est, si comparationem instituamus homines inter & bestias. Etsi enim Ratio potentia animæ humanæ sit, dubitari tamen nequit, quin unquam ad eum perfectionis statum pervenisset, quo homines merito dicuntur *facti in effigiem Dei*, nisi prius arbitrariis quibusdam signis pro suo ipsorum lubitu ad aliquid significandum determinatis possent uti. Profecto ille ne rationem suam a-

ctu

ctu perficere poteſt, qui ideas ſibi ſucceſſione & ordine non repræſentat, comparat, conjungit, dividit, atque ab iisdem abſtrahit & deducit, finitiſque animæ viribus generalium idearum ope auxiliatur? Certe ſi quis hæc præſtare non poſſet, nunquam verum ac legitimum idearum nexum perciperet. Interim in actu conſiderata aliud ne Ratio eſt, quam talis idearum diſpoſitio, ex qua hujus nexus clara & diſtincta perceptio habeatur? Sed objecta rerum, quæ tot ac tanta ſunt, & noſtrum ratione habita tot quoque partibus compoſita, quot excitare poſſunt in nobis ideas diverſas, rudis inſtar indigeſtæque molis se ita nobis ſiſtunt, ut aliis aliud obſtare dicas, ne ipſe ſibi animus de iis, quæ percipit, rationem reddere poſſit. Quare ut hæc evolvat, eximatque acervo cæco, neceſſe eſt, tum ut attentione adhibita ſecernat ideas alias ab aliis, tum etiam ut eas, quæ ſibi conveniunt, quamvis in diverſis locis, ſubjectis, ac temporibus ſint, a ſuis ſubjectis abſtrahet, & ſecum aut ex toto, aut ex parte conjungat, quemadmodum aut ex toto, aut ex parte conveniunt ſibi. Quod quidem Natura ipſa per ſe aliquando præſtat. At naturalium harum evolutionum, ac legittimarum connexionum pauciſſimus eſt numerus, ac præterea vilisſimis

ſimis tantum idearum illarum, quæ immediate ex ſenſibus proveniunt, limitibus circumſcriptus. Hæcne igitur eſſet *domina illa omnium & regina Ratio, quæ per ſe connititur*, ut ait Cic. Tuſc. 2., *& longius progreditur? Hic ne homo ille quaſi contemplator Cæli ac Dei, ipſiuſque cultor, cujus utilitati agri omnes & maria patent?* Quapropter ut ordo habeatur, atque ea, quæ inter ſe naturali nexu copulata non ſunt, copulentur; aliquid in poteſtate illius, qui ratione uti debet oportet ut ſit, cujus ope hæc conjunctio fiat. Id vero arbitrarium aliquod rerum ſignum eſſe poteſt, quod pro lubitu poſſit fingi, aptari, ac diſponi. Ergo cum ſine rerum evolutione & diſpoſitione nulla eſſe poſſit perfectio Rationis, cumque diſpoſitio, atque ipſa etiam ſola rerum evolutio maxima & meliori ex parte ſine arbitrariis ſignis non habeatur; Demonſtratum ſane eſt, *inutilem beſtiis eſſe futuram Rationis potentiam, ſi ex naturæ neceſſitate careant arbitrariis ſignis.*

X X V.

Ut vero hæc lis dirimatur, utrum nempe beſtiæ careant, necne, ſignis his, quærendum eſt primum, quænam ſit horum ſignorum natura in iis,

qui

qui revera Rationem suam perficere potuerunt; ac postea videndum, an ejusdem naturæ signa in bestiis reperiantur. Itaque experimentis super hominem institutis deprehendimus, vocabula sola esse arbitraria illa signa, quibus Ratio perficitur. *Quidquid scimus, nonne verborum auxilio didicimus?* ait Socr. apud Xen. *Nulla sane ars aut disciplina sine sermone perficitur, nulla docetur; neque honestum ipsum aut dignosci, aut sequi potest*. Profecto experientia constat, nulla alia esse posse adeo varia & distincta signa, quæ melius idearum infinitum propemodum, involutumque numerum nitide explicare, colligare, atque in ordinem disponere possint: nullaque prorsus alia, quæ ideas illas, quarum archetypa nullibi existunt, retinere ac repræsentare. Hinc vidimus omni cultura destitutas fuisse nationes omnes, quæ vocabulorum copia aliqua caruerunt, ut apud Lokium & Condaminium videre est: atque hinc scientias omnes tunc numeris omnibus absolutas fuisse vidimus, cum omnia propriis vocabulis definita fuerint, ita ut pari passu revera incedant cognitiones rerum & numerus vocabulorum. Ommittimus adolescentes in Lithuaniæ sylvis atque alibi repertos, Carnutensem mutum, atque alia plura hujusmodi facta rem demonstrantia; qui-

quis

quis enim testis est sibi, num unquam eorum remi- nisceretur, quæ infans patravit, aut rationis usu frueretur antequam loqui disceret. Sane naturalia illa signa, quæ magno affectuum tumultu aut in facie pinguntur, aut ore emittuntur, quidquid e contra Lucr. dicat l. 5. nihil arbitrarii habent, nihilque ideo cum sermone comunis. Quod si aliquid arbitrarii gestus habent; præterquamquod in bestiis destitutis manibus hæc ipsa facultas angustissimis limitibus circumscripta sit: observandum est, gestus eas solas ideas repræsentare posse, quæ immediate ex sensibus hauriuntur, objectumque præsens habent, iis præsertim, qui vocabulis carent. Imo gestuum facilis est confusio; nosque ipsi libris fabulam enarrantibus uti debemus, si pantomimorum ludis interesse, & quid repræsentant intelligere volumus. Arbitraria signa igitur, quibus Ratio perfici potest, ex institutis super eos experimentis, qui revera Rationem suam perfecerunt, vocabula sunt. Verum naturales soni illi *non explanabiles, sed perturbati*, ut eos Sen. appellat, quos bestiæ edunt, intelliguntque, nihil arbitrarii habent, humanarum instar interjectionum doloris aut lætitiæ, quas in ipso dolore aut lætitia homines vel inviti promunt. Analogia igitur, quæ, ut

dixi-

diximus th. sup.; probat, ejusdem esse debere naturæ animas hominum omnium, nulla revera est; si comparationem instituamus homines inter & bestias. *Ex analogia igitur concludere oportet, otiosam, neque ullo pacto perfectionis capacem futuram esse Rationem in bestiis, etiamsi tanta facultate prædita essent.*

X X V I.

Sapientiæ Dei igitur, quæ nihil unquam frustra molitur, injurium esset, existimare, eumdem creasse animam Ratione præditam ad informandum bestiarum corpus. Præcipue cum æque injurium esset omnipotentiæ ipsius asserere, alias creare non posse incorporeas substantias ab humana diversas & ratione carentes, quæ bestiarum corporibus præsint, ut videbimus th. XXXII.

X X V I I.

Sed jam quod analogia suadet, experientia comprobat. Quænam enim bestiarum sibi comparavit unquam vitii, virtutis, Dei, Religionis ideam? Nam quæ de elephantis Solem colentibus, & solemniter se aqua circumspergentibus refert Pl. l. 8. ille pro veris habebit, qui eidem auctori credet Phenicis, Nereidum, & Tritonum concha canentium historiam. Præterea cum picæ, psyttaci, canes, turdi etiam,

& lusciniæ (si eidem Pl. testi saltem oculatō non est neganda fides) posint ex organorum structura voces emittere, neque ullam tamen ex se, & mutuo consensu efformaverint; patet sane ex sola parte mentis esse defectum illum, ob quem id nequeunt præstare: defectum scilicet Rationis. *Quapropter non solum facta probant, bestias nunquam usas fuisse ratione, sed ulterius etiam ratione carere*. Quod autem de quadam Simiorum specie loquente retulerat Linnæus optime refutavit Buffonius, qui illum speciem hominum pro Simiorum specie accepisse demonstravit. Nunc igitur Helvetius videat, num manuum tantum & magnæ sensibilitatis defectu bestiæ distent a nobis! *Homines inter cetera animantia tamquam Dii vivunt*, *dicebat Socr. cit. loco*, *atque omnia antecedunt natura ipsa sua*.

XXVIII.

Quæcumque igitur belluę ex educatione agunt, ea ex solo sensu & reminiscentia desumenda explicandaque esse contendimus.

XXIX.

Quia vero ubi Ratio deest, tantum abest, ut aliquis possit promereri, quinimo e contra quid meritum

ritum sit ignorasse oportet, *carere bestias ipsa etiam indifferentiæ libertate propugnamus*.

XXX.

Hinc quidem nec delicta noverunt, nec de male factis pœnas luere debent. Attamen cum quid lex sit, quid obbligatio, quid pacta ignorent, nullam cum hominibus juris naturalis comunionem habere possunt; atque ideo *homines nihil belluis debere; sed id tantum Deo debere earum conditori, ne scilicet creaturis suis abutantur* cum Puffend., Hein., aliisque statuimus.

XXXI.

Quid interea? Sensum bestiis tribuimus, Rationem denegamus? Nonne post Carneadem, aliosque, quos refert Arist. l. 2. & 3. de an., demonstravit Condilliacus, sentire & ratiocinari esse unam eamdemque rem? En itaq. Condilliaci inductio: „ Anima sentit; ergo sensationes habet: habere sensa„ tiones idem est atque unam vel plures ex iisdem „ habere: plures habere est una magis quam alte„ ra moveri: moveri magis attendere est: attentio „ est comparatio: comparatio differentiæ perceptio: „ hæc judicium: judicare autem est unum aut plura „ judicia facere: hoc vero reflectere est, & ratioci-

„ nari

; nari sentire est. " Scilicet nemo potest ratiocinari, nisi sentiat, reponimus nos. At non ideo demonstratum est ratiocinari unumquemque, qui sentit. Quamvis enim verum sit judicare esse vel unum, vel plura judicia facere; falsum tamen est, ut ille possit plura judicia facere, atque alia ex aliis deducere, qui vel prima judicia retinere nequit, vel eas ideas sibi comparare & disponere, ex quibus posteriora judicia deducere possit. Præterea aliud est sentire differentiam idearum, aliud rationem reddere sibi de hac differentia. Illud passivum est: istud activum. Porro non illud, sed istud judicium est. Certum est igitur, *sentire non illico esse ratiocinari*. Præterea ostendit-ne Condilliacus, sensationes habere idem revera esse atque unam vel plures ex iisdem habere? Identica-ne est hæc propositio *una vel plures*, ut sine demonstratione possit admitti? Nonne fortasse plures sensationes simul habere nequit anima polyporum, & ostrearum? Denique quibus argumentis probavit, plures habere sensationes esse, una magis quam alia moveri? Nonne stupidi homines ipsi tales esse videntur, qui simul plures sensationes percipiant, & nulla tamen magis exagitentur?

XXXII.

XXXII.

Sed unam tantum esse posse spirituum speciem ex placitis Malebranchianorum nuper aseruit Co. Ludovicus Barbieri, tum ex eo quia una tantum sit corporum species, tum quia fieri nequit, ut anima, cujus natura ea est, quæ a Deo sensationibus affici potest, revera non percipiat quidquid Deus ipsi objicit, quemadmodum fieri nequit, ut speculum non reflectat cujuscumque objecti corporis imaginem. At primum falsum demonstratur ex novis præsertim Chæmicæ experimentis, quibus non modo quattuor, ut Peripateticis visum fuerat, sed triginta tria esse corporum diversa & imutabilia elementa compertum est; præterquamquod etiam nihil roboris haberet, ex corporibus ad spiritus ipsa deficiente analogia. Alterum vero absurdum ostendimus th. VIII. & IX., in quibus activam esse animam statuimus, & causarum occasional. falsitatem deteximus; præterquamquod etiam id pro vero & certo ponatur, quod in quæstione est: nam quærimus, utrum v. gr. unius tantum naturæ specula Deus creare possit. Igitur *existere animas in bestiis contendimus, quæ id, quod humana anima præstat, ex suæ naturę necessitate pręstare non possunt; atque ideo inferiores eadem merito possunt appellari.*

XXXIII.

XXXIII.

Non ideo tamen verum esse ex omni parte credimus *gradationum* rerum naturalium systema: scilicet absurdissimum esse judicamus, animam canis ex. gr. propiorem esse animæ humanæ, quam anseris anima sit. Illud tantum verum esse arbitramur, operationes canis majorem cum humanis veluti affinitatem habere, quam anseris. Gradatio igitur, seu proximitas effectuum major vel minor habetur; at nulla est major aut minor proximitas naturarum. Cum enim ex natura sua anima canis ratione & libertate careat, tantum fieri potest, ut ipsa fiat humana anima, quantum ut fiat anima humana anima anseris, aut etiam corpus ipsum. *Distat infinite igitur, quoad naturam, tum Deus ab animis hominum, tum animę hominum ab animis belluarum, tum istę a corporibus, tum corporum elementa ipsa inter se, tum ab omnibus omnia, quę diversę naturę sunt.*

XXXIV.

Systema Bonnetii ergo, quo animas belluarum tenui æthereoque corpore conjunctas e cadaverum cerebro migrare tradit, ut postea papilionum instar ad feliciorem vitam resurgant quo tempore *terra nova*

Or

& cœli novi futuri ſunt, *falſum & abſurdum eſt, ſi hinc beſtias eſſe hominum perfectiones conſecuturas inferre vellet.*

XXXV.

Atque Pythagoræ metempſycoſis, ex qua ſpiritum e feris in humana corpora, & hinc in feras recipi traditum fuit, non minus abſurda eſt, quam ſtultum eſſet credere, quod idem Pyth. jactitabat meminiſſe Ovid. Met. 15.

Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui corpore quondam
Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.

XXXVI.

Metempſycoſeos ſpeciem quamdam Platonici quoque poſuerunt e ſtellis in corpora animantium, ut animæ pœnas delictorum luerent, quæ in cœlis patraverant, & hinc ad ſtellas, ut virtutum præmia conſequerentur. Verum *abſurdum eſt, ſine delictorum reminiſcentia poſſe aliquem de malo factis pœnas ſolvere.* Aſtronomi præterea ipſi in hanc ſententiam inſurgunt; impiaque eſt, & Eccleſiæ auctoritate damnata.

XXXVII.

XXXVII.

A Platonicis iſtis non multum vero differt P. Bougeant e ſoc. Jeſ., qui animas belluarum eſſe Dæmones in earum corpora detruſos ſcripſit. Conatur quidem Revelationis auctoritate ſententiam ſuam tueri; *ſed Revelatio contrarium prorſus docet*. Etnim ex Revelatione ſcimus, Dæmones, tum ſapientiores hominibus eſſe, tum corpore non indigere, aut ſenſibus, ut ſapientiam acquirant. Ergo ne obtenebrari quidem poteſt ſapientia iſta corpore, aut ſenſibus; ut ille fingit.

XXXVIII.

Cæterum ſi quis ſibi perſuadere non poſſet; Deum in nihilum quotidie ea redigere, quæ creavit, & ad finem ſuum conſequendum adhuc apta videntur; cum quibuſdam Catholicis philoſophis *metempſycoſim ab unius belluæ corpore in aliud alterius belluæ ejuſdem ſaltem ſpeciei, veluti id, quod fieri poteſt ex Dei voluntate, ſine ulla abſurdorum turpitudine, aut hæreſis ſuſpicione defendere poſſet.*

XXXIX.

Tandem, quidquid ſit de futuro ſtatu animæ belluarum, aut de earum extinctione; illud certiſſi-

mum

mum est, immortalitatem animæ humanæ ex eo rationis vi desumi, quod ipsa Deum ac leges novit, suarum actionum domina sit, & pro suo lubitu aut bonum aut malum agere possit. *Qui igitur ob animę belluarum extinctionem verentur, ne ipsa humana anima in nihilum fortasse redigenda sit: vel ob humanę animę immortalitatem, ne prœmia aut pænę post hujus vitæ cursum belluarum quoque animis proposita esse debeant; illic revera dicendi sunt trepidasse timore ubi non erat timor.* Diversa scilicet est natura animarum istarum, nec fieri potest, ut belluarum anima eum finem assequatur, quem pro suo lubitu assequi potest anima humana, *ante quam posuit Deus bonum & malum, ut ad quod vellet dexteram porrigeret.*

FINIS.

Disputabuntur publice Vicetiæ in Ædibus Episcopalibus die Anno MDCCXCVII.